

simus: *caput* sesquipedem paene longum: *os* semilunare, in medio paulum acuminatum, sex digitos longum, sed quod magis dilatare atque rotundare potest, ita ut circumferentia ejus fiat tredecim digitorum: *oculos* habet dupli stufieri magnitudine, pupilla crystallina, circulo aureo: *Pinnas* octo; nimirum duas in dorso, priorem tres digitos longam et paulo plus latam, firmis spinis sustentatam, quam in rimam recondere potest: alteram huic magnitudine parem, sed spinis destitutam, nec habentem quo condatur: duas postbranchiales, paulo plus tribus digitis longas, duas in infimo ventre quatuor digitos longas, duos et semis latas, unam talem post anum; octavam pro cauda, quae est furcata, quinque digitos longa, sex lata. *Squamas* habet ut *Carpio*, coloris argentei, splendentes, in dorso autem et lateribus aureus admiscetur. Venter plane albicat: *Pinnae* sunt aurei coloris, quibus aliquid fulci admixtum est, in quolibet latere superius a fine branchiarum usque ad medium exortus caudae, ductam habet lineam crassam, nigram.

GVARACAPEMA mas est Dordae. Piscis compresso corpore et latus, licet non ita crassus. *Caput* definit in figuram quadratam, estque in fronte ita in aciem eductum, ut facilius fluctus maris natando secare posset. In sex aut septem pedum longitudinem excrescit: latitudo sive altitudo, ubi maxima, nimirum versus anteriora et pone caput, sesquipedalis. *Os* habet haud ita amplum, pro magnitudine corporis, mandibulas compressissimas, denticulos acutos. Paulo supra os, et quidem versus ejus interiora, oculi positi inferiori loco, ne nimirum in aquis imperiose ageret, qui alias linceus. *Oculi* autem sunt magni, rotundi, pupilla crystallina, caeterum argentei coloris. Branchias habet amplas: *Pinnas* septem, nimirum unam insignem a summitate capitis per totum dorsum extensam usque ad caudae exortum, latam in medio septem aut octo digitos, quae sensim minuitur, constans membrana ad tactum coriacea, et spinis mollibus interius sustentata:

hanc natans in aequore erectam tenet. A medietate infimi ventris ad caudae initium itidem pinna producit, sed vix unum digitum lata, in exitu triangulata: post utramque branchiam pinnam habet oblongam octo vel novem digitos: sub his in infimo ventre duas propinquas paulo longiores. *Cauda* circiter sesquipedem longa in duo cornua ampla distenditur. *Squammulis* minimis vestitur totus, quaeque ad tactum vix sentiuntur; ita ut glaber videatur. Color in capite, dorso, lateribus ex viridi et argenteo mixtus, uti et in pinnis, in ventre vero albicat. Per totum autem corpus (nimirum latera, dorsum, caput) maculis variegatus caeruleis, variae magnitudinis, milii, grani hordeacei, ervi. Carnem habet siccam, boni saporis.

Velocitate natandi superat porcos marinos, et eodem modo saliendo progreditur. Vescitur pisce longo vulgo *Petumbo* appellato.

MIIVIPIRA et **PIRABEBE** Brasiliensibus, *Peixe volador* Lusitanis. Piscis est volans, vel hirundo piscis: variae est magnitudinis: major erat *Halece*, quem hic describo, et formae rarioris. Figuram corporis habet (instar *Zandati Pomeranorum*) teretem et posteriora versus acutiorem. Totius longitudo ab ore ad finem caudae tredecim digitorum; crassities, ubi maxima, nimirum circa exortum alarum, septem fere digitorum, ad exortum autem caudae duorum. *Caput* crassum habet, superius compressum et latum, nimirum superius fere duos digitos et quasi in tubera supra oculos elatum, os non ita magnum, edentulum, et ossa ejus paulum ferrata instar limae. *Oculi* magni, rotundi, stufiero Hollandico aequales, pupilla nigra, circulo flavo, et exterius altero fusco. *Pinnas* habet sex cum cauda; duas in dorso, unam parvulam in medio, paulum tamen versus anteriora, alteram post hanc duos digitos longam, sesquidigitum latam, tenuem, at octo spinis suffultam; duas robustas in infimo ventre, subter ilia, duos et semis digitos longas, firma spina constans sed angustas, et unam parvam in inferiore corpore ex opposito majoris in dorso; septima est cauda, duos